



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quomodò certant & concordant in authore salutis, id est, Christo, omnes veteres & recentiores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

3. *Quae doctrina sit conformior scripturae & veritati, atque timori & honori Divino.*

IN hoc omnes concordant veteres & recentiores, quoniam solus Christus unicus est Saluator, qui mortē suā nobis meruit vitam aeternam. Solus ipse author salutis est, qui tradidit corpus suū in mortem, & fudit sanguinem suum pro peccatis nostris, Matthæi 26. Hic solus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram contra peccatum & Sathanam, Romanorum quarto, in illum solum posuit Deus pater iniquitatem omnium nostrum, Esaiæ 53. hic solus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Hic obtulit solus semetipsum pro peccatis totius Mundi, i. Ioan. 2. Solus meruit nobis remissionem & vitam aeternam, gratiam & fauorem patris, propter quem solum efficimur grati filij Dei, 1. Ioan. 3. in illum credentes omnes cōcordamus in articulo, quia natus est, passus, resurrexit, descēdit & ascēdit pro nobis, &c. Omnes ergo cōsentimus, quod solus ipse meruit vitam aeternam nobis, & remissionem peccatorum: nam hoc nobis erat impossibile mereri, aliās nō fuisset opus venire Christum, si quisque pro se per suā iustitiam potuisset sibi meruisse remissionem & vitam aeternam. Omnium igitur ex æquo solus ipse suo sanguine est author salutis, & meruit cœlū & vitā aeternā. Ibi nulla est dissensio in Ecclesia, omnes tribuimus gloriam Deo, quoniam solus Christus meruit vitā aeternam.

Variant iam partes Ecclesiæ & dissident in distributione, propter quidnam distribuatur vitā aeterna. Veteres sic docent, quod Christus qui solus meruit suo sanguine vitam aeternam, promisit in illum credentibus & mandata eius seruantibus, vitam aeternā ex gratia, vt velit compēnsari fidē simul & bona opera

vita